C midi quàm Pepones sunt, nec adeò praui succi, segnius item prouocant urinam, tardiusq́ deorsum descendunt. Ad uomitū excitandum non eandem uim Peponibus obtinent, sicut nec celeriter in uentriculo, quando illic prauus humor coaceruatur, aut alia corruptionis causa illum infestauerit, corrumpunt. Ventriculo haudquaquam ceu Pepones officiunt. Cucumeres autem urinam mouendi facultatem, perinde atque Pepones habent, sed imbecilliorem: minus nanque substantia humidi, ideoq́ nō facilè, ut illi, in uentriculo corrumpuntur. Inuenias qui hos ceu alia multa, quæ bonæ hominum parti concoqui non possunt, conficiant, ob totius scilicet naturæ cum eis proprietatem.

EX PLINIO.

Pepones qui uocantur, refrigerant, maximè in cibo, & emolliunt aluum. Caro eorum epiphoris oculorum, aut doloribus imponitur. Radix sanat ulcera concreta in modum faui, quæ ceria uocant. Eadem contra uomitiones siccatur, in farina tusa datur, quatuor obolis in aqua mulsa, ita ut qui biberit, quingentos postea passus ambulet. Hæc farina & in smegmata adijcitur. Cortex quoque uomitionē mouet, faciem purgat. Hoc & folia cuiuscunq; satiui illita. Eadem cū melle epinyctidas sanant: cum uino canis morsus. Cucumis odore defectum animi.

EX SYMEONE SETHI.

Anguria, quæ Cucumeres dicuntur, secundum uerò cōmunem sermonem Tetrangura, ob frigidū & humidum temperamentū noxia sunt, & mali succi. Ex ijs autem parua magnis anteferre oportet. Hæc urinā ducunt, & si in aceto macerentur, in acutis præsertim febribus, mitiorē calorem reddunt. Crebrior uerò horum usus semen genitale minuit, in Veneremq́ impetū aufert. Semen autem horū de-
D siccatū, caliditatem quandā possidet, contrariamq́ his actionē efficit, urinamq́ magis prouocat. Pituitā glutinosam Tetrangura in uentriculo gignunt, quę cruda per uenas diffunditur. Propterea qui his crebrius utuntur, illi propter humores temporis spatio in uenis, & alijs corporis cauitatibus coactos, longis corripiuntur febribus. Semen uerò horum urinā cit, sed minus quàm Peponū, quoniam celerius in uentriculo corrumpuntur. Meliora in his sunt quæ habent semen exiguū. Calidos autē & siccos stomachos iuuant, & si in ardente febre cum aceto porrigantur, ualde prosunt. Propriū uerò horum est nauseas uentriculi calore excitatas, sedare. Horum autem interiora esse oportet: nam quę foris sunt, mali succi existunt, & difficulter admodū concoquuntur, & ferè uenenata. Habent uerò & alias proprietates, ut animo deficientes propter excedentē calorē reficiant. Si autē pituitā in uentriculo nanciscant, nauseas faciunt, & colicos affectus, & hypochondriacas passiones.

DE SICY SYLVESTRI. CAP. CCLXVII.

NOMINA.

Cucumis anguinus. Cucumer asininus.

ΣΙΚΥΣ ἄγριος, ἢ ἐλατήριον, sic autē propriè uocatur succus eius Græcis, Cucumis anguinus, sylue stris & erraticus Latinis, officinis & barbaris Cucumer asininus, Germanis wild Cucumer/uel esels Cucumer appellatur.

FORMA.

Solo fructu à satiuo Cucumere distat, quem multo minorē habet, glandibusq́ longiusculis similem. Folia & sarmenta satiuo similia. Radicem albam & magnam. Totus frutex amarus.

LOCVS.

Ruderibus sabulosisq́ locis prouenit. Nusquā tamen in Germania, quod sciam, nisi satus nascitur.

TEMPVS.